

74



Wimmelband

U. q. 97.



COLLEGII FEVDALIS
DISPUTATIO VIII.
DE SVCCESIONE
ASCENDENTIUM ET TRANS-
versalium.

Quam


D. F. G.

SVB PRÆSIDIO CLARISS. ET
CONSULTISS. VIRI, DR. THOMÆ FRANZII, I. C.
& feudalis juris in illustri Academia VVitebergensi
Professoris publici, pro virili tueri
conabitur,

PETRUS KLESSEN,
Non. Octobr. Hora & loco destinatis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno M. D. XCVI.



Continuatio.

Hic cuncto superiori disputatione primo
succedentium in feudo ordine, qui sunt
Descendentium: superest ut de postre-
mis duabus, Ascendentium videlicet et Trans-
versalium, classibus, nonnulla subjiciamus.

THESIS I.

In ordine ergo Ascendentium contra jus commu-
ne (a) disponit jus feudorum, ut nempe parentes seu
ascendentes regulariter in feudis filiorum non suc-
cedant: (b) nisi pater, filiorum favore, feudo antiquo
renunciet, suisq; filiis illud concedat, quibus absq;
hæredibus decedentibus feudum hoc casu ad patrē
revertetur: (c) Aut nisi feudum concessum sit filio,
intuitu & amore paterno, aut ob benemerita & ser-
vitia patris, & sic patris respectu filius fuerit investi-
tus: (d) Aut nisi expresse pacto conventum fuit, ut
ascendentes admitterentur ad feudum filij (e)

(a) quo equidem parentes ad hereditatem filiorum vocantur
Auth: Defuncti C. ad S C. Tertull. imò non minus hereditas
filiorum est debita parentibus quam e contra, L. nam etsi paren-
tibus 15. in princ. ff. De inoff. testam.

(b) c. 1. ubi gl. & Dd. De nat: success: feud: c. 1. De success:
fratr. Zas. p. 8. n. 2. Cujac. 1. feud. 1. pag: 24. Wesenb. c. 6.
n. 7. Borch: c. 7. n. 9. Ratio hujus Conclusionis est, tum, quia
pater senex ad præstanda Domino servitia debilior præsumitur
quam filius juvenis arg: c. 1. De Vasal: decrep. atat: Iacob. de
Belvis. De his qui feud. dar poss. tum, quia si feudum est anti-
quum vel paternum, impossibile est, ut pater filio, avus nepoti,
proavus pronepoti succedat, cum feudum à patre, avo vel pro-
avo mortuis in filium derivetur, sin autem novum feudum ali-

cui concessum est, eo sine descendantibus hæredibus defuncto, feudum ad dominum revertitur, et non ad patrem vel avum d. c. 1. De nat. success. feud. Zas: p. 8. n. 2. Mozz. de substant. feud. n. 74. Dependet insuper hujus Conclusionis ratio ex mente concedentis, nam feudum datum simpliciter à Domino, intelligitur solummodò datum intuitu & contemplatione accipientis, & legitimorum hæredum descendantium. Quam primum itaq; descendentes non existunt res redit ad propriam & primævam suam naturam: idq; ex tacita quadam pactione, non enim contemplatione ascendentium dederat, nam si hoc voluisset, potuisset primò illis conferre, c. 1. Patrem in feudo filij non succed: Cujac. 1 feud. 1. pag. 23. Dn. Franz. in repet. c. 1. De feud. sine culpa non amit. (c) æquum enim putatur hoc in casu potius ad patrem quàm ad Dominum vel Agnatos feudum reverti debere. Prepos. & Dd. in c. 1. n. 2. De vafal. decrep. etat. Iacob. ArdiZon c. 1. De nat. success. feud. § ascendentes Curt. p. 3. n. 43. Zas: p. 8. n. 2. Vvesenb. c. 6. n. 8. Borch: c. 7. n. 9. Atq; ita aliquando in quadam facti contingentia determinatum fuisse refert Myns. 2. Obs. 93.

(d) ratione siquidem meritorum conceduntur multa, quæ aliàs non facile permitterentur Alvarot: & Dd. in d. c. 1. De nat. success. feud. Tiraq: in L. si unquam 8. super verbis, donatione largitus n. 11. cum multis seqq. C. De revoc. donat: Schurff: cons. 27. circ: fin. cent: 1. Iul: Clar. in § donatio, quest. 8. n. 2. Molin: in Consuet: Paris: tit: 1. § 30. n. 99.

(e) c. 1. Patrem in feudo filij non succed: arg: c. 1. § fin: De success. feud: c. 1. circ: med: De fratr: de nov: benef: invest: c. 1. De benef: fratr: c. 1. vers: nisi ejus condit: De success: fratr:

II.

Et tantum de Ascendentium successione in feudo: nunc porrò videndum, quomodo Transversales ab intestato in feudis succedant. In Collateralibus itaq; primi acquirentis, nulla est in feudis successio: (a) nisi pacto in constitutione feudi de hac ipsa specialiter cautum fuerit. (b)

(a) c. 1. § 2. vers: sin autem unus ex fratribus. De his qui feud. dar. poss. c. 1. § in alio verò feudo De success. feud.

(b) d.

(b) d. c. 1. § 2. vers: *Sin autem unus ex fratr. De his qui feud. dar: poss. d. c. 1. § fin: De success: feud: c. 1. § si duo fratres De feud: March: feudum enim ex conventionem legem accipit, ac per pactum licet, quod aliàs non liceret arg: L. 3. C. De pignor: d. c. 1. § 3. in fin. De his qui feud: dar: poss:*

III.

Progeniti verò exprimo acquirente Collaterales Agnati hodiè non minus quàm descendentes in feudo paterno sive antiquo in infinitum succedunt, licet olim secus fuerit.

c. 1. § hoc quoq; sciendum 4. De his qui feud. dar: poss: c. 1. § satis bene, vers: de functo posteriore fratre De prob: feud: al: per Loth: & ibi Bl. n. 2. c. 1. si vasa: feud: priv: cui defer: c. 1. De nat: success: feud: ibi, ex latere omnes per masculos descendentes usq; in infin: ubi Præpos: n. 2. Bl. in c. 1. § si Capitanei De feud. March: Clar: § feud: q. 79. n. 3. Et hanc sententiam, ut veriorrem, de consuetudine Germaniæ approbatam & iudicio Camere Imperialis receptam esse testatur Mynsing: 2. Obs. 95. Dissent: Ifern. in c. 1. § Hoc quoq; sciendum n. 21. De his qui feud: dar: poss. Gail: 2. Obs: 150.

IV.

Ordo autem, quo Transversales in feudo succedunt, talis est: Primò vocatur defuncti vasalli fratres (a) tam Consanguinei (b) quàm utrinq; Coniuncti, (quandoquidem hïc agnatio & non cognatio spectatur) (c) nec non fratrum prædefunctorum liberi, qui cum patris in stirpem succedunt, veniunt enim jure repræsentationis, ideoq; partem patris sui, quem repræsentant, accipiunt. (d)

(a) c. 1. § His verò deficient. De success. fratr. Auth. cessante C. De legit hæred.

(b) Nec obst. quod jure Civili frater utrinq; coniunctus excludat fratrem ex altero parente tantum coniunctum, Novel: 118. cap. 3. De jure enim consuetudinario feudorum secus est, quo sanè frater Consanguineus tantum ad successionem fratris sine filio masculino decedentis, cum fratribus utrinq; coniunctis admit-

itur, quemadmodum communiter notantur Feudistæ ind: c. 1. §
his vero deficient. De success: frat:.

(c) c. 1. § His vero deficient. De success: frat: c. un. ibi. ex
latere omnes per Masculos descend: De nat: success: Vnde facile
patet ratio, cur Uterini excludantur, vinculum enim ex parte
matris nullū in hac successione consideratur Iacob. de S. Georg.
verb: presentes n. 11. Curt. p. 3. M. 3. n. 55. Pistoris p. 2. q.
43. per tot.

(d) c. 1. § Cum vero Corrad. De his qui feud. dar. poss. d. c. 1. §
His vero deficientibus De succes. frat. Ifern. Bl. Alvaro. rē
pos. in d. c. 1. § Et quia vidimus De his qui feud: dar: poss:
Zaf: p. 8. n. 17. Wesenb: cons: 74. n. 38. Borch. de feud. c. 7.
n. 81.

De duorum fratrum liberis ambigitur, num hi,
patre defuncto, in capita sive stirpes succedant? In
qua quæstione post longam disputationem obtinuit
eorum sententia, qui asserunt, successionem hujus-
modi in capita, non in stirpes fieri debere, quando-
quidem jure proprio veniunt. Et hanc sententiam
Carolus V. in Comitibus Spirensibus. Anno 1529. ge-
nerali constitutione Imperij promulgata approba-
vit: quæ, teste Mynsingero, & Dn. Assessoribus sum-
mi tribunalis Germanici imperij validior visa est.

Zaf. p. 8. n. 18. Hottom. quæst. illust. 14. Wesenbec. cons. 84.
Et de feud. c. 6. p. 102. Et seq. Mynsing. 3. Obs. 94. Vaud. 1.
quæst. 24. Nec adversatur quod d. constitutio Carolina in allo-
dialibus tantum loquatur: absq; ulla enim hæsitacione illa quoq;
ad feuda extenditur, cum hac de re in Consuetudinibus feudali-
bus nihil specialiter dispositū reperiatur per c. Vnic. § strenuus
autem. De cognit: feud. VI.

Post fratres, eorumq; liberos, devolvitur inte-
stati hæreditas ad reliquos Agnatos gradu proximi-
ores, (a) quæ successio in feudo novo ad 7. usq; gra-
dum & non ulterius extenditur. (b) Nisi feudum sit
constitutum nomine & titulo Regni, Ducatus, Co-
mitatus aut Marchionatus, In his etenim feudis, tota
regia

regia domo extincta, ille recipitur, qui est de sanguine regio, etiam in millesimo constitutus gradu. (c)

(a) Metimur vero proximitatem intuitu Vasalli defuncti, non respectu ejus, qui feudum primus acquisivit, ut tradunt Dd. in d. c. Vn. De nat: succes: feud: (b) c. 1. § hoc quoq. De succes: feud. Bl. in Auth. Defuncto C. ad S C. Tertull. (c) Bl. in c. 1. n. 6. De feud. March. Ias. post alios in L. ult: col. 2. C. Vnde legit: Dec. conf. 85.

VII.

Hæc conclusio extenditur etiam ad Transversales ascendentium, ut est Patruus, vel Patruus magnus, qui similiter ad feudi successionem admittuntur.

c. 1. in fin. Constit: feudal. Domini Lothar: ubi Ifern, n. 2. & 4. Borcholt: c. 7. n. 85. Dissent: Bl. in d. c. 1. Constit. feud. domini Loth: n. 12. & Præpos. ibid. n. 5.

VIII.

Ardua hinc suboritur quæstio: Quomodo videlicet Agnati, simultaneè investiti, succedant, an prærogativa gradus inter ipsos locum habeat, an verò simul & pariter, prout sunt investiti, succedant? Nos cum Wesenbecio, non attenda graduum computatione, pariter eos succedere dicimus, nisi loci consuetudo contrarium suadeat, vel clausula quædam (qualis est illa secundum gradus prærogativam nach rechter Siepzahl / Item ad proximiozem, von dem nechsten zu dem nechsten) investituræ adjecta eos excludat.

Schurff, conf. 59, n. 3 cent. 2 incip. casus qui in facto, Gæden. late conf. 22. Schurer. de succes: ab intest. pag. 258. Wesenb. conf. 41. v ol. 1. n. 83. & seqq. & de feud. c. 6. pag. 105. Gail, 2. Obs. 151. Ratio hujus conclus. 1. quia natura copulativæ est, ut omnes personæ copulata simul & cõjun. Etim vocata intelligantur I. reos II. § cum tabulis i. ff. De duobus reis, arg. L. si duobus 16. ff. de legat: 1. Ias. post alios in L. Gallus § quidam re. Etè n. 12. cum seqq. De liber: & posthum: Deinde dominus quoque feudi nullo sanguinis jure, verum sola voluntate & liberalitate erga simultaneè investitos, tanquam extraneos, movetur. Sequitur ergo omnes istos, simultaneè investitos, equaliter & pari jure.

vi jure atq; conditione admittendos esse, ex vulgata juris regula, que suadet, quod una eademq; determinatio respiciens plura determinabilia debeat ea æqualiter determinare L. Iam hoc jure, ubi Ias. latè n. 10. ff. De vulg. & pupil. substit. L. quamvis 4. C. De impub. substit.

I X.

Illud in dubio est: An frater fratri in novo beneficio succedat? negamus fratrem hoc in casu admitti, Vasallo enim sine sobole mortuo, feudum ad Dominum revertitur, (a) nisi aut nominatim in feudi constitutione hoc cautum sit, (b) aut nisi beneficium communi pecunia à domino fuerit emtū, (c) aut nisi utriusq; nomine domino sciente à Vasallo emtum fuerit, (d) aut nisi communib⁹ armis & equis in militia impetratū sit, (e)

(a) c. 1. § Cum verò Corradus De his qui feud. dar. post. c. 1. in fin. De success. feud. c. 1. De success. frat. c. 1. De feud. March. in fin. c. 1. De benef. frat. (b) d. c. 1. De feud. March. d. c. 1. De benef. frat. c. 1. Vn. De duobus frat. de novo benef. invest. c. 1. § in fin. De success. feud. (c) d. c. 1. Vn. de benef. frat. in fin. d. c. 1. De duob. fratrib. de nov. benef. invest. Ifern. in c. 1. § præterea n. 7. in fin. De L. Corrad. (d) d. c. 1. De benef. frat. (e) d. c. 1. De benef. frat. ubi Alvarot. in pr. Zas. p. 8. n. 26.

X.

Concertatio est circa hanc materiam, cujus successio in beneficio Mulieris Vasallæ potior sit, Maritine, an filiorum? ubi tenendum, maritum in feudo fæminæ non succedere, sed filios præferri.

c. 1. An maritus succed. uxori in benef. ubi Ifern. n. 1. c. 1. De invest. quam Titius à Sempronio accep.

X I.

Solet hoc in loco non inconvenienter disquiri, num in successione feudi secundum jus Canon. an verò Civile computatio graduum sit instituenda? Communiter affirmatur, juris civilis dinumerationem observandam. Contrarium verò uti verius defendunt alij.

Hottom. de feud. pag. 235. verb. septimum gradum. Pistoris p. 2. c. 19. Dissent. Ed. in c. 1. § & quia vidimus De his qui feud. dar. post. Curt. p. 3. M. 3. n. 52.

F I N I S.

155054


AB 155054

ULB Halle 3
004 829 352




VD 17





A
155





B.I.G.

Farbkarte #13

COLLEGII FEVDALIS
DISPUTATIO VIII.
DE SVCCESIONE
CONDICENTIAM ET TRANS-
VERSALIAM.

Quam

D. F. G.

PRÆSIDIO CLARISS. ET
ILLUSTR. VIRI, DR. THOMÆ FRANZII, I. C.
FEVDALIS JURIS IN ILLUSTR. ACADEMIA VITEBERGENSI
PROFESSORIS PUBLICI, PRO VIRILI TUERI
CONABITUR,

PETRUS KLESSEN,
Non. Octobr. Hora & loco destinatis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno M. D. XCVI.